ORATIO FVNEBRIS

IN CELEBRI FVNERALI POMPA EXcellentiſsimę Marchioniſſæ de Guadalcaçar huius noui orbis Proreginæ. Habita à D. MARCO DE FIGVEROA VALLEZILLO Regalis Mexicanæ Academiæ Conſiliario in Metropolitana Eccleſia; vbi cineres placidè conquieſcunt.

Nobili Mariæ Sidonia Riedrer de Paàr Comitiſſę de Barajas meę Dominę colendiſsimæ.



Año. 1619.

LICENTIA.

Mexici, ex Officina Bachalauri Ioannis de Alcaçar.

APROVACION DEL PADRE LVIS DE Molina Religioſo dela Compañia de IESVS y ſu Predicador en la caſa Profeſſa de Mexico.

HAlleme preſente a eſta Oracion funebre. Y me admirè de la viva accion, y tierno afecto con que ſe dixo: indicio del ſentimiento por la perdida, y del agradecimiento deſte Cauallero. Agora por mãdado de V. Excellencia la è leydo atendiendo mas a la coſa, que a los afectos con que ſe dixo, y hallo la digniſsima de q̃ ſe imprima; para q̃ aſsi como el ſentimiento de la muerte de ſu Excellencia à ſido tan general en eſte Reyno. Gozen todos los que no ſe hallaron preſentes, eſte Compẽdio de ſus excelentes Virtudes. Enla caſa Profeſſa de Mexico, 14. de Mayo 1619.

A D. MARIA SIDONIA RIEDRER DE PAAR CONDESA de Barajas mi Señora.

SI cõ la triſte, y laſtimoſa nueva de la muerte de mi Señora la Virreyna, que tanto ha de laſtimar el coraçon de V. S. pudiera yo embiar el vniverſal ſentimiento, deſte Reyno, las tiernas lagrimas de todos, el deſconſuelo de los Pobres, la ſoledad de la gente Religioſa, el aparato, y grandeça del entierro, digno de vna Reyna, la ſumptuoſidad de las Honras, las Exequias que en otras Republicas, y Ciudades de eſte Nuevo Mundo, ſe hizieron a ſu Excellencia, no ſolo entre Eſpañoles, mas aun los meſmos Barbaros, è Indios bien pudiera V. S. dezir con lagrimas, lo que con tantas dixo el grande Ambroſio en la muerte de ſu querido hermano Satyro. *Licet priuatum funus, tamen fletus fuit publicus*, aunq̃ la muerte y Entierro no fue mas que de vna perſona, eſſa fue tal, que el ſentimiẽto, y llanto fue publico, y comun: Pero contentarme he con lo que a mi me cupo en eſte general trabajo, que fue eſta Oracion funebre, porque ſi las lagrymas, y ſentimiento, nacieron de las Heroicas, y Excellentes Virtudes, que todos conocian. y veneravan en ſu Excellẽcia. Aqui hallara V. S. vn breve Compendio dellas, y vn retrato vivo dela Vida, y muerte de la Catholica Reyna de Eſpaña Margarita que Dios tiene. Movime tambien a offrecer eſta oracion, por ſer la principal coſa, que para la edificacion, y cõſuelo de los que aca quedamos laſtimados de tal perdida, ſe haze en vna Honras. Aquel gran Legislador Solon dexò entre otras, vna ley a los Athenienſes, que refiere Caſaneo, en que manda, que para celebrar las Exequias de los Principes, y Potentados, ante todas coſas ſe ſeñalaſe vno, que cõ vna oracion publica, moſtraſe al pueblo las virtudes del difunto, pareciendole, y con razõ a eſte Iurisprudẽte, que ſe hazia mas en vn breve rato deſde vna Cathreda, cõ vna voz viva, aunq̃ ſalida de la boca de vn humilde Orador, q̃ con los Tumulos, y Mauſoleos levantados cõ las Pyramides, y Obeliſcos gravados de Blaſones, ni cõ las Lapidas llenas de Titulos, y Epitaphios, porque eſtas coſas mueſtran la Sangre. la Nobleza, y Antiguedad de Linage: Y como dixo el otro Poeta. *Nam genus, & Proauos, & quæ nõ fecimus ipſi: vix ea noſtra voco.* Y pues a mi por ordẽ dela Real Vniverſidad me cupo la mejor parte, en eſtas Exequias, juſto ſera que en nombre de ſu Clauſtro, y mio como quien tan obligado eſtà offreſca lo que tanta parte tuvo entre otras tã grãdioſas, que cõcurrierõ, y pues cõ la Muerte de mi Señora la Marqueſa perdi vn tierno, y cordial amor, a dõde le ire a buſcar en eſta Vida, ſino a quien en Sangre, Nobleza, y Heroicas Virtudes es la miſma, confiado recibira V. S. eſte pequeño dõ, y a mi en ſu ſervicio tã rẽdido, como lo eſtava a la difunta, que Dios tiene en ſu Gloria. A cuya cõpañia deſpues de mnchos y felices años lleve Dios a V. S. en vida del Conde mi Señor. Mexico, y Mayo 16.

Bachiller D. Marcos de Figueroa, y Vallezillo.

O FRAGILEM HVMANÆ vitæ conditionem! ô vota lubrica: ſed quid ſibi iſta elocutionis nouitas? Quo iſta orationis initio inuſitata tendit exclamatio? O fragilem (liceat iterum. N. N.) O fragilem humanæ vitæ conditionem! ô vota lubrica! ô vitreã rerum noſtrarum fidem! ô ſortis humanę diraludibria! ò fallaces, & innanes ſpes, quibus in errorem ſæpiùs impellimur in fraudẽq; inopinãtè deducimur! En immaturè abſciſſam, quã putabamus immortalitate digniſsimam intuemur. En clariſsimum regni totius extinctum lumen exquirimus. Eclypſim en patiens iubar cœli micantiſsimum, lubricisque obtectum nubibus ſolem luce prorſus orbati deflemus. En ſplendidiſsimam Lunã quam etſi cœlo nũc claris virtutum radijs mortis noctem pleno meritorum fulgore depellit, & inſignium factorum facibus in ſuperni luminis claritate perſiſtit nullo mẽſtruo interpolata fulgore; externo iam lucis huius ſplendore carentẽ ingemimus. En fulgentiſsimum ſydus obſcuris acerbæ mortis, & immaturæ nebulis circumfuſum latitare dolemus. En florem mortis vomere abſciſſum, & fructiferæ arboris falcis impetu cadentem vbertatem longo lachrymarũ imbre

D. Hier. Epiſt. 17. ad Pammach. de obitu Paulin.

rigamus. En (vt cum Hieronymo Eccleſię Doctore dicã, immaturũ Paulinæ obitum deplorãte) *Parturientẽ roſã, et papillatũ corymbũ anteaquã in calatũ fundatur orbis, et tota rubentiũ foliorũ pãdatur ambitione immutarè demeſſum* ſiccis oculis haud poſſumus intueri En deniq; clariſsimę, atq chariſsimæ Rachelis ſpeciem, & pulchritudinem defloratam lachrymabundi conſpicimus. Sed proh Deum immortalem! Quis excellentiſsimæ totius huiuſce noui orbis Proreginæ, clariſsimæ de Guadalcaçar Marchioniſſæ funera fando tẽperet à lachrymis? Infandum proculdubio, fatebitur quicunque adeſt renouare dolorem, nouis ſubinde in horas ſingulas lachrymarum cauſis creſcentibus cogimur, impellimur. Quid ergo luctum publicum paucos ante dies cęptum, necdum remiſſum, & lachrymas, quas nondũ abſterſimus ferali pompa, funebri apparatu, lugubri oratione, & inculto prorſus dicendi genere rurſus inſtaurare iubetis, cogitis, & vrgetis? Feciſſet vtinam immortalis Deus, vt quod Theopõpo olim contigiſſe teſtantur authores, qui è certamine cum Theodocte, Naucratite, & Iſocrate ab Artemiſia in viri ſui Mauſoli Regis Carię chariſsimi iam defuncti laudibus decantandis propoſito victor extitit gloriabũdus: nunc mihi potiori

Iodoc. Bad. ſuper Valer. Max. lib. 4. de amor coniug.

tiori iure in Proreginę noſtræ clariſsimæ efferendis laudibus contigiſſe teſtemur ! Aut ſaltem ea vix e crepundijs oratori mihi ſurgenti facundiæ vis, & maſculum plane pro nata occaſione orationis genus ineſſet, quę talem, tantãque heroinã aliqua ex parte deceret ! ne & pręter expectationem veſtram, & contra illius dignitatẽ mea apud vos infantia mortuæ potius Proreginæ deſiderium augeat, quam imminuat. Sed timeo: Quid? libere dicam, hoc timeo: ne me, qui longe triſtiores: *Admeti nęnijs* (vt fertur) haſce nenias apſſumpſi funeſto verborum apparatu, & lubrico decantandas, *ad myrtum* (vt in Proverbio eſt) *canere* jubeatis: quo nimirum veteres olim aliquos, vt minus facundos, & eruditos literarũ oratores, vel laudationis alicuius Panegyrim aggredi, vel cæptam etiam vt parùm pro nata occaſione congruentem interdicebãt; merito quippe Fauorinus celebratiſsimus olim Philoſophus frigidam alicuius laudationem, quauis verborũ etiã turpiſsimorum in aliquem effuſa contumelia turpiorẽ eſſe iudicabat. Sed ne qui tã eximiæ fœminæ laudes præ manibus euolendas ſuſcepi, inſignem contrahere (quod magnopere mihi pertimeſcendum duxi) ſtultitię, ac temeritatis notam incipiam, illud vnicum mihi in hac re ſolatium,

Eraſm. Roter. in adag. Chili 2. cent. 10.

Idem. ibidem. cent. 6.

Fauorin. Philoſoph.

tiũ, vnus hic perfugij locus reliquus eſt: quod ita laudari debet, vt ſi eius encomiũ mortales nulla vnquã felicitate quimus implere, eiustamẽ facilius exemplũ admittamus, atq; fœminã ſupra muliebrem ſexum poſitam amore capti, & nouo ardore ſuccenſi non detrectemur imitari. Augeatur igitur, inculto licet dicendi genere, augeatur: ad quod Romanorum eloquentiæ facilè Principis verba paulùlũ immutata libenter vſurpabo: augeatur iſto etiã honore iſta fæmina: *Cui nullus honor tribui nõ debitus poteſt, grati ſumus in eius morte decorãda cui nullã aliã iã gratiã referre poſſumus.* Ergo quotquot adeſtis (viri clariſsimi) ſinũ pãdite, affectus exprimite, aures exhibete, vt cui viuenti ſemper vos gratos, & beneuolos exhibuiſtis, dum vobis illius nunc triſtiſsimæ noctis imaginem repræſento, in hoc vltimo ſoluẽdo officio non defuiſſe videamini.

Cicer. Philip. 10.

Sed heu noctem Mexicanę vrbi inauguratã! Heu fructu ſuo, & pondere immatura ceſione cadentem arborem! Exceſsit iam Proregina clariſsima. *Sed quę aures* (vt cum Hieronymo loquar iterum) *quę aures tam durę? quę de ſilice exciſa pręcordia, et Hyrcanarum tigrium lacte nutrita, poſſunt ſine achrymis* Proreginę huius *audire nomen?* Qui oculi ſine lachrymis intueri ſepulchrum?

D. Hier. Epiſt 17. ad Pammach.

Exceſ-

Exceſsit Proregina clariſsima, exceſsit excellẽtiſsima Marchioniſſa; exceſsit, occubit; ſi occumbere dicenda, quæ immortalitatem eſt, quãtùm humana licet indagine coniectare, certiſsimè conſecuta. *Mortua eſt ergo Rachel*, & mortua eſt illa, cuius ita prępperę, & immaturę mortis ſtimulat, ac pungit animum triſtis, & acerba recordatio, vt doloris tactu terribilis videamur iterum remorbeſcere; nec modum quo inſtituti noſtri fila texentes facili poſsimus vnione componere: nanciſci, vel præſtolari. At ſi huic doloris magnitudini vis quædam dicẽdi, & elegans quidam dictionis ornatus proportione reſpondeat, facillimum oratio noſtra muniet aditum, ſibique tutiſſimum parabit acceſſum. *Mortua eſt ergo Rachel*. Sed qua circumvoluentium temporum rotatione? Quo rotantium annorum curriculo? Quo? Incarnatę deitatis anno ſupra milleſſimum ſexcenteſſimum nono decimo. O infeliciſſimum tempus, & lachrymabile! O annum nigris inauſpicatò nobis aſſignandum lapilis! Ita profecto. At huius anni, vt animi mœrore cõfecti acerbis paululum temperati doloribus adoleſcant, mẽſem nuntiate mihi, quo triſtis hic caſus acciderit: mẽſem dicite. Februarium eſſe, vos omnes muſitantes excipio. Quis non

Geneſ. 34.

non in illo infauſtum, & infandum nimis hũc obitum infelicisſimo (ſi fas eſt dicere) augurio prænotaret? O menſem (enſem melius fortunæ noſtræ, gladiumque gaudiorum ancipitem compellauerim) quem Plutoni inferorum Deo crudelisſimo barbara illa antiquitatis eluſio, & eluſa barbaries conſecrabat! Annus innotuit vobis, & mens: nunc mihi nuntiate diem; ſed ſiſtite, noui iam. O Lunæ diem! vt quid tam impia? dic, cur tam acerba? ſiccine iſtud molita toto orbi terribile? ſiccine, tot nobis patrata mala? Tot nunc machinata ſiccine? Siccine tot machinamenta perpeſa? Reſponde. At nemo eſt, qui non illam, Lunæ ſcilicet inſtabilis, cui ſacra fuiſti, tot incrementis, & decrementis, viciſcitudinibus tot, tot mutationibus, tot denique menſtruis interpolatam fulgoribus varietatem agnoſcit: *ſi creſcit, minor eſt: maior ſi contrahit orbem*: quid ergo mirum? Si te omnes, ô Luna, Lucinæ nomine appellitant, eo quod partus in lucem proferas,

Macrob. lib. 1. Saturnal.

Ouid. 15. Metamor.

Idem. eodem.

Virg. 4. Aeglo.

O Lucina ferox! hoc peperiſſe fuit?

Martial. epigr. 22.

Vt quid die tibi ſacra, ô Luna, partus hic Proteginæ noſtræ deſisſimis circunfuſus tenebris deliteſcit? Non ineptè; ſed apté nimis, &

ſcité

ſcité arcum ferens profectò diceris, quæ cum morte arcui arcum iungere, pharetræ pharetram, & ſagittis ſagittas vt ferias, fortiter haud recuſas. Verum ſi nemora, & ſyluas incoluiſſe diceris, cur é ſolitudinibus, nemoribus, & ſyluis hodie in ciuitatem hanc ita profecta? Cur ciuitatis huius tam temere deturpaſti honorẽ? Cur decòris & decôris eradicaſti florem? Cur nobilitatis lilium, & pulchritudinis radicibus euulſiſti, euulſum exterminaſti? Agedũ. Quid labia complicas? labia reſolue, acue linguam, tempera vocem. Quid ſiles? Quid obmuteſcis? Nunc rubore perfunderis? Modo verecũdaris? vt quid? vt quid cum nihil prodeſt, infatuata rubeſcis, & erubeſcis? Ergo apage, procul hinc, ne remorare, fuge.

Ambroſ. Cal.

Idem. Verb. Ciana.

Annus hic (auditores) hic mẽſis, dies iſthæc: ergo quid? ſume tibi (vt cum Cicerone) ô Mexice: *Sume diẽ, vide qui te inauguret*: ſume diem, quæ nil niſi ruinã tibi, nil niſi acerbos caſus, & mortem inaugurare poterit amariſsimam. Ergo ſume diem, in illo namque mortua eſt Marchioniſſa noſtra clariſsima; *Mortua namque eſt Rachel, & iam ſepulta*: Cui Iacob amoris ergo, & obſeruãtiæ titulũ cõſecrauit, quo prætergredientiũ omniũ oculis verſaretur, occurreret; & egregiam eius me-

Cicer. 2. Philip.

memoriam, atque digniſsimam, ne percurrentium viciſcitudine annorum, nec temporum canicie deficeret: inſtauraret. *Hic eſt titulus monimenti Rachel vſque in præſentem diem.* Quæ enim melior clariſsimis deducta primordijs Rachelis cum Rachele, ſepulchri cum ſepulchro, tituli cum titulo comparatio? Quæ enim pulchrior iſta pijſsima, expreſsiorque ſimilitudo poterit inueniri? *Cum parturiret Rachel* (ſacra teſtatur pagina) *ob difficultatem partus periclitari cæpit, egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte vocauit nomen filij ſui Benoni, ideſt filius doloris; pater vero appellauit eum Benianim, ideſt filius dexteræ.* Ergo agite iam euetum cum euentu, periculum cum periculo, difficultatem cum difficultate, partum cũ partu, dolorem cum dolore, filium cum fœtu, nomen cum nomine, cum morte mortem, imo vitam cum vita, ſi lubet, merito comparate. *Rachel* ideſt Hebraicè mater agnorum *Ouis.* O Rachel, & Proregina clariſsima, quam ouis máſuetudinem referens Rachelis typus repreſentat aptiſsimè! Decora facie, candido aſpectu, graciliq; vultu Rachel; at Marchioniſſa noſtra virtutum mentis, & corporis pro membrorũ diſpari cõditione pulcherrima. Illa antiquitate, & genere nobilis, & nobilitate antiqua: hæc vero ſtir-

Geneſ. 3.

Hebraice.

ro ſtirpe ilicet nobiliſsima,&generoſa nata aui-tis ſtematibus perilluſtris, & fumoſis imaginibus vndequaque præclara: quæ antiqua laudis, & honoris ſtemata reuocauit, & talis, ac tanta fuit, vt etiam ſi præclari ſui generis (quæ tamen omnium oculis ſpectatiſsima, & literarum monimentis teſtatiſsima, & vtriuſque paternæ ſimul, & maternæ ſtirpis titulis, ornamentis, imaginibus, ſtematibus, & id generis alijs ſunt celebratiſsima) ornamenta defuiſſent, ſummum ipſa ſui generis ornamentum eſſe poſſet, & ſuarum ſplendore virtutum lucem afferre maioribus obſcuriſsimis: illa enim (cum Hieronymo in Epitaphio Paulæ) *Erat nobilis genere, ſed multo nobilior ſanctitate.* Illa omnium virtutũ genere plena; hæc nullo virtutum genere deſtituta. Dum enim iam præclaras illas, & ſingulariter egregias, quibus enituit virtutum dotes intueor, & collectum ex eis florum pulcherrimorũ quaſi faſciculum oculis veſtris (ô viri) mẽtibus veſtris exhibẽdum componere conor, aggredior, inſiſto: tunc non aliter profectò me in eius virtutum hortulo viridiſsimo, vbi frondoſæ arbores, flores pulcherrimi, fructus ſuauiſsimi, aptè perbellè, ac ordinatè vniuerſa compoſita, & cõcinnata: quám pulchram virginẽ aliam in alio;

D. Hier. in Epitaph. Paulæ.

non ſic perennantium, ſed marceſcentium illico, florum varietate, & amœnitate gratiſsimo horticulo, quem acciperet, quem ve relinqueret, anceps cogitatio retardabat. *Aſsidet in virdi.* Pœta exſipite:

Samb*us*. in *emb*l. pag. 185.

Aſsidet in viridi tot picto floribus horto
Virgo puellares inter habenda Deas.
Cumque nihil deſit, dubitat textura corollam,
Delectus florum quippe moratur opus.
Huc illuc ſpectat, mens eſt ignara decenter
Quæ inſerat, aut demat, miſceat apta loco.
Vera loquor: quot ſunt inopes, quos copia fecit
Sumere dum metuunt, atque in honora locant.

Non aliter, multi ſunt huius Proreginæ virtutũ tituli, vt me in delectu copia faciat inopem: cũ tamen imis ſumma cohæreant, multitudinem hanc ſpicilegio meo pro tẽporis opportunitate, & orationis decurſu attemperabimus: ne nunc textrinæ telam exorſam innumeris intextam filis, & interpoſitam iterum diffidam, abrumpam.

Cũ parturiret Rachel, ob difficultatẽ partus periclirari cæpit. Altera prope erat Proreginæ clariſsimæ. Ad uetabat, non ſibi tantũ, ſed & ciuitati vniuerſæ fœtum in lucem edẽdi tempus optatiſsimum, & votis etiam adeo expetitum; ſed (ô caſum! ô ſe-

ô ſecretiſsima, ſacratiſsimaq; diuinæ prouidentiæ conſilia! ô fauſtum omnem!) tunc, cum meliusquam antea ſe habere cæpiſſet; ecce inopinato ſanguinis pro fluuio repente corrumpitur, ac dum ob difficultatem partus ingenti periculo verſaretur. Proh Deus immortalis! crebros quos tunc pulſu cymbalorum ſonitus concrepantium, omnes vt ſigna pietatis oſtenderent, de imminenti partus periculo præmonentes, audires? Quæ vota eccleſiarum publica non videres? Quot non religionum preces, & religioſorum officia? Quot non familiarum clamores, atque ſuſpiria? Quot Chriſtianorum ciuium precationes aſsiduas; ne arbor illa fronde pulcherrima, vmbris opaca, ramis extenſa, elata faſtigio, ſed fructibus immatura ictu fulminis mortis horribili tangeretur, lachrymabundus inſpiceres, adnotares, ac ſubita mutatione palleſceres: etenim

Crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago. Virg. 2. Ae[n.]

Egrediente autem Rachelis *anima præ dolore & imminēte iā morte vocauit nōen filij ſui Benoni.* Sed ô Rachel heroina clariſsima! quæ viccinitate mortis, qua ab ōnib⁹ pene corporis partibus ſenſus abceſſerat: filiam non *Benoni* idest *doloris*, ſed filiam dexteræ

Beniamin, vt pote ipſo (mirabile dictu) regene-
rationis labacro, baptiſmatis aqua luſtratum,
vtero compellauit. Videres hic: ſed quid dum
puellulam matris vtero clauſam inſpiceres, nõ
videres? in cõcha pretioſiſsimam margaritam:
in ſuo bombyli bombycem: granum tritici in
ſpica gratiſsimum: adamãtem in annullo: pre-
tioſiſsimum obtectum pelle carbunclum: in
arbore fructum: roſam ſanguinis murice pur-
puratam anguſto ſinu, & palludamento con-
cluſam: ac denique ſydus in firmamento clariſ-
ſimum. Quid ergo nobiliſsimam hanc infantu-
lam deploramus? ſi enim, vt Cornelius eſt au-
thor, antiqui pueros ſuos læti, alacreſque tym-
bis, & ſepulchro mandabant; cur nos eam la-
chrymis infantulam proſequamur, quæ eò fe-
licitatis euecta eſt, vt ab ipſo matris vtero, non
ſine numine, in ætherea domicilia tranſlata eſt?
cumque æternam vitam vel ipſa pijſsima ma-
ter mercata eſt. *Mortua eſt ergo Rachel, & iam ſepulta.*
Illa humanitas interijt, ille ſplendor extinctus
eſt, illa nobiliſsimæ huius vrbis; imo & orbis
huius bonorum, & virtutum omnium viduata
proſperitas, illa virtus ſuperata corruit, illud
Mexicanæ ciuitatis columen, illa (vt in vna illa
hæc omnia dicam) Marchioniſſa, & Proregina
no-

noſtra clariſsima mortua eſt. O Mors fera ni-mis! noctis, Herebique filia, vt Princeps eloquentiæ Cicero! O inter cæteras crudeliſsima Dea, omni inhumanitate, & immanitate teterrima! O inexorabilis ſine tẽplo, vt Solinus! *Quæ in ſcopulis mors ſæua ſedes*, Statius. *Stygijs emiſſa tenebris*. Idem.

Cicer. de nat. deor. 68.6.

Solinus.

Statius.

Idem.

Nil vulgare legens, ſed quæ gratiſsima vitæ
Funera præcipuos annis, animiſque cruento
Angue notas.

Vide Nicol. Perot. ſup. Mart. Epiſt. 22.

O quám aptè! ô quám appoſitè abſcinthij corona quadá amaritudinem redolentis notam tuam nimis animis acerbitatem oſtentans, te cana illa antiquitas, & antiqua vetuſtas veritatis omnis ſub fabularũ tegumẽto magiſtra delineauit ad viuum, expreſsit, effinxit, figurauit! Sed cur tam fera, Mors? cur tam crudelis? Quo properas? Expecta: ſiſte gradum: quo tendis?

Valder. in Vit. D. Clem.

Quo dea? Quo tendis? non te lachrymabilis ætas,
Non te forma mouet? non pudor, aut probitas?

Angelop. in Aibier.

Sed o ferrea pectora Parcæ! O inexorabilis!

Ante diem fera diſrumpit ſic ſtamina Cloto,
Nil mouet hanc virtus, nil pietaſque mouet.

Polyãt. Verb. mors.

Mortua eſt Rachel, & heroina noſtra clariſsima vitam cum morte; imo mortem (melius dixerim) cum feliciori vita commutauit, nam, vt pulchrè, & optimè ſatis Cicero *Mors non eſt interi-*

Cic. 1. Tuſc.

tus omnia tolens atque delens, ſed quædam quaſi migratio, commutatioque vitæ, quæ in claris viris, & fœminis dux in cœlum ſolet eſſe. Cum morte vitam commutauit in qua quaſi obſcuris incluſa carceribus, vt mũdi inanes, & fallaces ſpes, quibus tenebatur ſtrictiſsimis velut nexibus implicata, diſſolueret. Sepulta eſt illa: & Rachelis noſtræ pulcherrimæ funeris adminiſtri corpus innumeris affectum honoribus collocant in ſepulchro,

Virg. Aen. 11

Qualem Virgineo demeſſum pollice florem
Seu mollis violæ, ſeu languẽtis Hyacinthi,
Cui neq; fulgor adhuc, nec dum ſua forma receſsit.

Illuſtri namque Archiepiſcopi præſentia grauiſsima, frequenti Marchionum, Comitumq́; concurſu, Regijs ſenatoribus aſsiſtẽtibus, Mexicana Diœceſi decantante, grauiſsimo doctorum, ſapientiſsimorum patrum, equitumque nobiliſsimorum conuentu, innumera ciuitatis, & populi multitudine; abſente ſolo præ doloris magnitudine, Prorege noſtro, & Marchione de Guadalcaçar excellentiſsimo, luctu publico, pullis veſtibus, maxima cum ceremonia, ſolẽnibus deprecationibus, & officijs, incredibili cum mœrore, ac deſiderio tantæ fœminæ ingentium lachrymarum obortis imbribus condidere, & iuxta maximam aram loco certo de-

to depoſitum, munitũ clauſtro iacet incluſum.

Fertur Iacob magnificum Racheli tumulum erexiſſe. Sed ó Proreginæ noſtræ ſepulchrum, pulchrum ſanè magnificum, egregio conſtructum opere, atque mirabili, honorificẽtiſsimis hinc, inde titulis ſuæ pietati deditis, ac debitis exornatũ! Huic ergo cædát *aere vacuo pẽdentia Mauſoleo*, quæ Regi Cariæ chariſsimo viro ſuo Artemiſia eius vxor opere egregio, ſtructura mirabili, miro deniq; rerum ordine elaborata conſtruxit. Huic celebratiſsimum illud Ayacis Thelamonij cædat monimentum, cui viua virtutis effigies, expreſſaque ſimilitudo inceſſabili planctu, innumeriſque ab imo pectoris fuſis inde gemitibus adſtitiſſe profertur. Huic faces nec inuite ſummittant lapides illi Romanorum ſepulchris, quos maiores, quàm vt poſſent defuncti laudes quatuor ſolum heroicis verſibus comprehẽdere, legum lator Solon ille ſcientiſsimus in legibus de extruendis Romanorum ſepulchris vetitos reliquit, & prohibitos. Huic cædat magnificũ illud Achilis ramis intextũ, & viridis amaráthi coronis. Huic Marianæ noſtræ amoris pyræ gratiſsimæ cædát illæ (nec non illa Patrocli ab Homero celebratiſsima) quas ſuorum patrũ corporibus Aeneas olim

Mart. Epig. 1. in amphit. Cæſ.

Valder. in Vit. D. Clem.

Offic. Text. verb. ſepulch.

Anton. apud Heronian. li. 4.

Valder. in vit. D. Clem.

Homero. 23. 23. Iliad.

Vir. Aen. 12.

olim, & Tharcon *conſtituere pyras*, quibus non opus eſt latinorum ſpolia, galeas, enſes, frena, feruentes rotas, & munera, clypeoſque, nec nō felicia tela conijcere. Non opus hic (vt apud veteres in defunctorum gloriam, & honorem moris extitiſſe teſtatur Euripides) mactari animalium corpora, pyramque ouium, & taurorum ſanguine purpurari? Nō opus hic (vt mos extitit apud antiquos olim celebratiſsimus) corpus tantæ huius heroinæ noſtræ pulcherrimæ vnguentis honoris ergo inūgere pretioſiſſimis: nec, vt in Sylæ funere, innumera aromatum genera concremare. Non opus hic demū tubarum clangor, & ſonitus, mœſtæue querelæ. *nec tuba* (cum Propetio loquitur heroina noſtra clariſsima.)

Euripid. in Helen.

Virg. Aen. 6.

Badi. ſuper Val Max. li. 4. de am. coniug.

Propert. eleg. 13. lib 4.

Nec tuba ſit fati vana querela mei:

Huic cædat egregium Platonis buſtum in quo Regia illa Iouis armiger ales, atq; miniſtra Aquila, hac illacque, & vndequaque contendit, ac decurrit. Ducum magnorum lateant antiquorum ſepulchra, vbi tot erigebantur ſtatuæ, quot triūphos tulere nobiles, quot nobiles reportauere victorias, quibus ſi imponebantur arma, & defunctorum inſignia: inſignis in hoc Proreginæ noſtræ clariſsimæ renitét gētilitia, retinet

Val. in vit. D. Clem.

Hor. 6. carm. 4.

Petr. Crinit. lib. 5. de honeſt. diſcip.

Virg. Aen. 6.

Home. Odiſſ. 12.

retinet quippe, vt cum vate, licet non in omnibus loquar, *Apud Valer. Arg. Cycis.*

Sceptra manu veterum retinet geſtamen anorum,

Lateat, lateat Marci Fuluij excellentiſsimi ducis ſtatua celebratiſsima Romæ olim debiti honoris ergo conſtructa: illa etenim circumcirca prunarijs debita proprortione calentibus, cadentibus hinc, inde guttulis liquefacta ſenſim, ac minutatim corruit, & euanuit. Egregium buſtum illud, atq; magnificum Regis Hetruriæ Porſenæ deliteſcat, quippe ſi é columnarum egregié, atque magnificé erectarum coronide *pendebãt excepta cathenis tintinabula, quæ vento agitata longè ſonitus referebant,* ne tãti Regis memoria (vt Plinius) deliteſceret: delituit tamen; at Marianæ, & Rachelis noſtræ pulcherrimæ recordatio nulla vnquam temporum canicie mutabitur, aut labẽtium multitudine annorum, velut Parijs inciſſa marmoribus, aut literis exarata deficiet; imo æternitati in poſterum cordibus infixam ſemper, & gratis animis immortalitate dignißimam cõſecrabimus. Nec iam facta eius egregia, atq; facinora, vti Iudæi, qui ne defunctorum illuſtria è mortalium obliterata mentibus excidiſſent, eorum marmoribus ante fores ſoliti

Titus Liu. de cad. 4.

Plin. lib. 36. ca. 13.

Alex ab Alex. li. 3. c. 7.

Valer. Max. fol. 210.

ſuerunt inſerere: miris inſcriptam titulis inſtaurabimus. Nec enim aſcia, quam in ſepulchris contra immemores, & obliuioſas mentes imponere ſoliti fuerunt antiqui, hic erit opus: virtutes enim illius loquaci ſilentio, & ſilenti loquacitate conclamant: quarum laté patens, contrita nimis, & vulgatiſsima fama nullus eſt in terris angulus, regio nulla, quò non inſigni omnium acclamatione perilluſtris eruperit, etenim exiſtunt omnibus obliuionis antidotum. O fortunata millies Marchioniſſa! O Rachelis ad viuum exemplar! O ſanctiſsima! Tua me ô quantúm detinet maximarum virtutũ admiratio! Tua me ô quátùm afficit, rapit, & abſorbet gloria! Tua me ô quantùm ad te attrahit egregié factorum celſitudo mirabilis, dulciſque, atque ſuauiſsima recordatio! Sed quid iam nunc, ò caſum! ô fortunam! Quid iam ſine Rachele ſua Iacob? Quid ſine heroina ſua, coniugeque chariſsima Iacobus nouus excellentiſsimus Marchio, Prorexque toto orbe celebratiſsimus efficiat? Quid cogitet? Quid moliatur?

Angelopolitin. eleg. in Albier. pag. 260.

Vxor abeſt, heu! heu! ſed qualem nulla tulerunt
Secula; ſed qualem tempora nulla ferent.

Titulũ Iacob Racheli ſuæ ſupra monimentum,

tum, & (vt ſepulchrorum auidi obſeruatores aduertunt) non ſolum titulum, ſed pyramidem duodecim circumcirca lapillis vndique exornatam erexit. Sed quid in Rachele noſtra pyramis iſta ſublimis, niſi lapidis Saphiri, calcedonij, Sardonichis, Sardij, Chryſoliti, Berylli, Topazij, Chryſſopaſsi, Hyacinthi, nec non Amethiſti duodecim ornata lapillis, cryſtallinis virtutum centris, aureis punctulis interpoſitis, viridi, ac tintura floracea ſublucẽtibus? quæ certé quidem tales, ac tantæ ſunt, vt cum ſingulas per ſe, atq; ſeorſim intueor, nihil earum ſine dolore, & iniuria præteriri poſſe videatur: Ita multæ rurſus, vt cum contempler vniuerſas, illarum pleræque minimè hac breuiſsima oratione complecti, prædicariue poſſunt: ſed quò oratio non pertinget, eò veſtra pro maxima in illam obſeruantia pietas contẽdet, & ſuperabit, vt omnes ſimul, & ſingulas aſsidua, vt facitis, recordatione, ſacroq; ſilentio veneremini: ſed eas ego ad recordationem potius eius integerrimæ vitæ, quàm ad eiuſdem iuſtiſsimam, ac debitã laudationem, ex præſtãtiſsimis animi dotibus, ac virtutibus potiſsimum delibabo, quæ in hiſce anguſtijs temporis minori cum iactura præ

teriri poſſe videbuntur. Atque vt in vno hoc omnia complectar, à tenero ſuo vſq; adhuc vitæ primæ naſcentis exordio cœleſtem in feliciſsimæ recordationis Margaritæ de Auſtria Hiſpaniarum Reginæ clariſsimæ famulatu, & obſequio vitam egit ab omni corporis contagione ſeiūctam: reſpuit ludos pueritiæ, & carnis ſuæ perdomandæ ſtudioſiſsima voluptatis blandimenta, & veteris Protoparētis Æuę malitiam verita, verbera ſibi acriter infligebat, aſperiſque cilicijs aſsiduo ſe ſe corporis comprimēdi cupida, macerabat, quibus carnis impetum fregit, incendium cupiditatis extinxit, vitiorum omnium cōpeſcuit appetitiones, turbulētos animi motus omnino frenauit, fluctuſque cohercuit. Rerum ſemper diuinarum cōtemplationis auida, nuntijs, & rumoribus occludebat aures; cœleſtibus religioſiſsimorum virorum conuerſationibus aperiebat: comiter, & humaniter ſe ſe ſolebat omnibus impertiri. Vera loquor, & eorum, quę dixi, & que ſuperſunt dici, teſtes fideliſsimi eſtis, quoquot adeſtis, viri ornatiſsimi. Quis enim vnquam veſtrū fuit, per Deum immortalem, qui vultum illum ſuauiſsimum, ſedem pudoris, modeſtiæ ſimulachrum, humanitatis effigiem; aut indecoris

aſper-

aſperſum notis, aut minus compoſitum, aut irę nebulis infuſcatum vidit aliquando? vidit profectò nullus; nulla triſtitia, nulla frontis contractio, nullum ſupercilium, nullus horror; nō imperioſa, non faſtoſa, non arrogans. Incredibilis ei comitas quædam inerat, & humanitas: humana, miraq; in ea morum cōcinnitas maximè floruit, ac denique (quod difficillimum eſt) lenitatem ita cum grauitate coniunxit, vt neque comitas de authoritate, neque authoritas quicquā de ſuauitate detraxerit. Vltra progrediar auditores, & virtutum Rachelis noſtrę lapillos in tumuli inſciſos pyramide contemplemur. A verbis ſe ſemper illa inutilibus abſtinebat, nullum ab eius ore compoſito niſi diuino numini gratum, & ſoboli humanę proficuū excidebat: ſe totam omni candoris ſpecie pulcherrimam, veſte, ſi quando pretioſa provt ad officium, ſtatumque decebat, at certè non ſuperba, non faſtum redolenti decēter obtegebat: pedes in inceſſu, paſsibuſq; belliſsimè moderabatur: oculos humilitatis, ac innati pudoris indices ad omne modeſtię ſpecimē illos rite componens, humi defigens, vix unquam attolebat: ſumma illi inerat in obtemperando voluptas, ingens alacritas in obſequijs: mirus in

cōui-

cóuictu candor animi: ſimplices mores: compoſiti ad modeſtiam vultus probitatis indices, & cultus interioris: nil illi niſi virtutis inerat æmulatio, nil niſi de humilitate contẽtio, quæ pacis eſt genitrix, & cõcordiæ. Nec tanto, ſpecioſiſsimoque Rachelis noſtræ pudori, animi candor, & corpori pulchritudo defuit aliquando, illi namque

Candor erat dulci ſuffuſus ſanguine, qualem
Alba ferunt rubris lilia mixta roſis.
Vt nitidum lęti radiabant ſydus ocelli,
Sępe amor, accenſas prętulit inde faces:
Illi honor, et teneri iã cana modeſtia vultus
Et decor, et probitas, purpureusque pudor.
Caſta fides, riſuſque bilares, moreſque pudici,
Inceſſuſque decens, nudaque ſimplicitas.
Vni quidquid habet, dederat natura decoris,
Vni etiam dederat gratia, quidquid habet.
Quę cuncta in cineres fati grauis intulit hora,
Mors cuncta immitti carpſit acerba manu.

Quid ergo Mariana Rachele noſtra modeſtius? Quæ ea noſtro tempore pietate celebrior? humanitate facilior? comitate pellicior? charitate ardentior? temperantia moderatior? abſtinẽtior in victu? in periculis fortior? omni deniq; virtute conſtãtior? hæc pulcherrimum erat ciuitatis ornamentum, Mexicanæ, Hiſpanicęque

nobi-

nobilitatis decus, religioſorum ordinum patrona, tenuibus refugium, pauperum columẽ, potẽtibus etiam propoſitum exemplar ad imitandum. Cui non hæc (Rachelis noſtræ virtutum lapillos inſpicite) Cui ergo, & ad egregiũ facinus, & ad omnem in Deum amorem facẽ illa non prætulit? Hauſerat profectò, hauſerat ex illo fonte clariſsimo Auſtriacæ Margaritæ noſtræ Hiſpaniarum Reginę ſupremæ tantum bonorum, quantum capere cum ipſa poſſet: poſſet in alios etiam omnino trãsfundere: quæ ita virtutum Regijs acquieuit, inſtititque veſtigijs, vt qui illam nouerint, & hãc viderẽt, planè in hac tantæ Reginæ ab honoribus Nympha chariſſima verã quandã, viuam, expreſamque; nõ hominum manibus, ſed imitationis ardore; non ſtatuariorum ingenio, & artificio, ſed ſtudio, potius, ac diligentia: imaginem propriſſimè ſibi obijci arbitraremur.

Sed iam iterum typi noſtri Rachelis refricate memoriam, ne ab ſcopo orationem noſtram aliquantulũ declinare patiamur. Rachel *furata eſt idola patris ſui, et ſedit deſuper.* Hic iam altius erigẽdus eſt animus, & ſub illa quaſi vmbra veritatis corpus indagemus, ſi placet, eò enim ego illa ſpectare crediderim, quòd Pro- Geneſ. 31.

regina

regina noſtra Protoparentis Adami appetitus contra rationem voluptatum, & mundi diuitiarum idola contemnens, (*ſedit deſuper*) pedibus ea omnia ſubijecerit, conculcauerit. Pinguibus cãporum paſtibus, irriguiſq, & cryſtallinis fontibus adaquauit oues Rachel, refecit, ac ſuſtẽtauit: Sed quoties Mariana noſtra magno lachrymarũ imbre, nudis genib⁹, proſtrata ſolo, ſumma cũ ſummiſſionis, & humilitatis modeſtia, amore mixto timori, ac reuerentiæ, cœleſti, pabulo rite ſuſcepto diuinorum eſuriẽtem animũ refecit, ac recreauit. Neminem veſtrũ latere hęc arbitror: hoc enim õnes experti ſumus, admirati ſumus, & vtinã pene veſtigijs inſiſteremus; nec vero illa tam diu viuere, quam bene viuere, iuxta poetæ eruditi conſilium, cogitabat:

Non eſt (crede mihi) ſapientis dicere: viuam.
Sera nimis vita eſt, craſtina, viue hodie.

Viuebat Proregina clariſsima, mortẽ quæ non timuit, aut formidauit aliquando, Meãdri verba perpendens, *mortem quid times quietis genetricem?* Pacis eſt genitrix, *malorũq; omniũ remediũ* inquit Seneca: nec nõ bonorum omnium eſſe, teſtem adhibeo Romanorum eloquẽtiæ Principẽ, qui *à malis mors abducit,* (inquit) *non à bonis.*

Meander.

Seneca.

Cice. 1. Tuſ.

Imo

Imo & bonorum omniũ maximum mortẽ eſſe dij (vt rerum geſtarũ ſcriptores obſeruãt) quos ex luto formatos, argilla ductos, varioq; metallo figuratos falſó illa barbara gentilitas coluit, adorauit: innuunt, teſtantur, affirmãt. In cuius rei vel illud clariſsimũ eſſe poteſt teſtimoniũ, quód Trophonio, & Agamedi accidiſſe porfertur: cum enim Appollini Delphis templum illi erigerent ſumptuoſiſsimũ, atq; magnificum, & mercedem; non paruam tãti quidem operis, & laboris; non tamen certam, ſed quæ eſſet optima homini, expoſtullaſſent, illis Appollo ſe id daturũ tertio deinde ſubſequẽte die promiſsit, qui vt illuxit mortui ſunt reperti. O mirũ! Indicaſſe Deum dicũt, & eum quidẽ Deum, cui reliqui dij cõceſsiſſent, vt præter cæteros diuinaret, mortẽ eſſe optimum homini. Quid clarius? Expreſsius quid? Quid ad rem accõmodatius? Non enim mortis heroina noſtra clariſsima tãtam indignata faciẽ, aut vultũ quatunuis alijs minaciſsimũ exhorrebat. Quoties de imminẽti mortis periculo cogitabat? Quoties quæ caduca, quæ breuia, quæ externa omnino ſũt, negligẽs: ampliſsimũ, & illuſtriſsimũ illud beatorũ domicilium, illaq; ſupernæ ciuitatis gaudia, Angelorũ choris quæ ſunt, cũ beatiſsimis ſpiri-

Polyãt. verb mors.

tibus gloriæ cõditoris aſsiſtere: incredibili ſpiritu, & amore ſuccẽſa, cũ mente, (ne cũ mẽs orabat, vnde ſẽſus haurirẽt, cogitationes auocaret, alióq; traduceret; imò vt immota, ſilensq́; cõſiſteret) ſtritiſsimũ fœdus iniens: cõtẽplabatur? quod, vt certiſsimè aſſequeretur, haud quáquã illá moleſtię retardarũt, terruere certamina, magnitudo laboris exanimauit. Quoties in hoc ſilẽtio profũdiſsimo elingues facta loquebatur? eſt enim ſuo ſilẽtio facundia, dũ lingua cœleſti delibuta licore, & illiciẽtis eſcæ titillata dulcedine in guſtãdi officiũ, vſum loquẽdi traducit. Quoties ingẽs illi vis lachrymarũ inerat? Quãtus imber? quám afluẽs, quámq; redũdans diuinarũ ſuauitatũ copia? quã cũ humani pectoris anguſtiæ nõ ſatis caperẽt, erũpebat in corpus. Quoties intercluſa voce, cũ facultas liberè reſpirãdi nõ eſſet: proloqui minimé, pronũtiareue poterat, quoad tãta illa dulcedinis vbertas, remitteretur, & copia? Quoties demũ tantis illa æſtuabat ardoribus, vt omnes pene partes corporis exardeſcerẽt, venæq; õnes manifeſta cordis palpitatione micarent?

Sed quo me tãtus virtutũ oculis obortus ſplẽdor abducit? Quò tandẽ res magnitudine abducta mens euadet? Quò progredietur oratio?

Siſta

Siſtamus iã in portu poſt naufragiũ. Pyramidis en Rachelis noſtræ lapillos: preſtãtiſsimas ecce pluſquã duodecim Marchioniſſæ noſtræ virtutes fulgentiſsimas margaritas. Sed eã iã caduca hac vita defunctã (nec enim vltra progredi patitur animus, factꝰ etenim ſum *mutus Hipparchiõ*) nõ tã in hoc magnifico Mauſoleo, quàm in noſtrorũ pectorũ ſarcophrago ſepultã relinquamꝰ: hoc enim eius animus *Sarcophrago cõtentus erit*. Tu vero, ô clariſsima fœmina! O Germaniæ, ô vtriuſque Hiſpaniæ micantiſsimum lumen! non iam fœminarum illuſtrium, ſed ſumorum virorum laudibus, & diuiuino quodam verborum genere prædicanda. O ſpiritum incontaminatum! erumpe, iam erumpe, conſcende, & tandẽ conuola in tuam ſedem, in ſublima Hieruſalem æternæ capitolia, vbi te ſidera ardent, te ciues beati fauſtis acclamationibus excipere geſtiunt: vbi te tuus imperator, ac Deus expectat, vt quam omnes tã generoſẽ viuentẽ, & vincentem expectarunt, nunc demum, ac perpetuò cominus intueantur tuo te nomine meritis, & gloria coronatam. Quod ſi Iacob Racheli ſuæ olim lachrymas obtulit: ſi tumulum, & in tumulo inſcriptionem appoſuit: nũc potius nos! ô Rachel noſtra.

Tenodotus apud Eraſm. Rot. Offic. text. f. 218. pag. 2.

Iuuen. Satyr. 10.

Pat.Ioan. de Ledes.ſociet. Ieſ.

Pro lachrymis tibi ſerta damus:pro marmore cœlum:
Inſcribet tumulum publica fama tuum.

Agite tamen vos quotquot honoris ergo, & obſeruantiæ huc confluxiſtis,viri clariſsimi, & quas præ doloris magnitudine, præ caſus acerbitate, præ inopinata, & immatura morte à vobis lachrymas iuſtus dolor non invitis extorquet, comprimite, cohibete. Quis enim Philamon? Amæbeas quis? Quis Thamyras, aut Orpheus tanto huic dolori ſufficiet? Nec

Ouid. lib.11.

Offic. Text.

Tu licet & Thamyram ſuperes,atq; Orphea cantu.

Ouid. li.3. de ar.

(Rudis Orator) tanto huic, debitoque dolori ſufficies. Quid ergo ſuſpiria funditis? lachrymis frena immittite, atque ſingultibus: alij namque (ait Iſidorus) plorandi ſunt in morte; *Non quos cœleſtis aula lætificando includit*. Nec acerbũ deinceps luctum; ſed potius cum Mantuano vate *Cuncti lætum celebremus honorem*: Lætum dico, tametſi in leto, quia verè lætari à leto cæpit ipſa feliciſsima Marchioniſſa, ipſa (ô veré) Rachel fortunatiſsima. Ac vos omnes eius quondam amici, cultores, obſeruatores, domeſtici,familiares, propinqui,non iam lachrymas, ſed flores, & lilia, vt olim veteres ſacratiſſimo buſto ſparſum ite gratulabundi: & quam laudibus pro dignitate aſſequi non potuimus, loquaci,

D.Iſidor. lib. 3 de ſum.bono.

Virg Aen.5.

Proper.liq.1. eleg. 17.

Virg. Aen.6. Iuuẽ.ſaty. 7.

loquaci, admirandoque ſilentio, & ſilenti loquacitate veneramini: eſt, enim admiratio preconium gloriæ, & ſilentium fidus interpres maieſtatis. Dixi.

EPITAPHIVM.

AD Excellentiſsimam Marchioniſſam de Guadalcaçar huius noui orbis Proreginã. Ab eodem. D. Marco de Figueroa Vallezillo.

Quiſquis ades lege, diſce in me, quid Sceptra caduca,
Quidue ſepulchra docent, cautior eſto, & abi.
Proregina fui, ampla atauis, præclara marito,
Felix prole, opibus maxima, morte cinis.
Graz natale dedit, tahlamum mihi Corduba, ſceptr
Mexicus, hic tellus me tegit, aſtra beant.

× ſceptrum

88-/82

BA 69
F175o

12
42
54
28
3x1

1 a la Mano a Pluma de l s r & c a

a 25 de Abril de 1666 Años

Por Mandado

17 38